



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



Bonum factum!

48
**SPECULUM
REDDENDÆ RA-
TIONIS VITÆ**

octogonium,

Emblemate quintuplici, Tetrasticho item quadruplici,

Pœnitentiæ Christianorum seriæ

incentivis,

publicè ad parietem Cathedræ

Confessarii,

in æde DOMINI Elisabetica,

Senioris,

Anno Epochæ Christianæ

supra sesquimillesimum septimo,

adfixum:

in vicino ædis ejusdem Gymnasio

cras a. d. 24. Sept. A. 1676.

à Juventute litteraria ad Confessionem sollemnem se

parante,

indicitur contemplandum

hodiego

JOHANNE GEBHARDO.

WRATISLAVIÆ,

In BAUMANNIANA Typographia

exprimebat GODOFREDUS GRÜNDEB.



DAusanius, Cæsarea Cappadocum oppido oriundus, scriptor ob rerum variarum copiam & jucundam historiarum diversitatem, eruditorum ordini apprimè hætenus commendatus, inter alia lectu & observatione digna, memorabilem de fonte ad templum *Cereris Patrensis in Achaia* hanc refert historiam. (L. 7. Achaic. p m 514) Ante fores scilicet illius Delubri fontem fuisse perquam miraculosum, cujus interventu homines futura, sed in iis tantummodò, quæ ad morbos spectassent Corporis, *Speculi beneficio*, prævidere soliti. Cujus rei gratia Oraculum quoque illud, multa rerum experientia probatum, ΜΑΝΤΕΙΟΝ ΑΨΕΤΔΕΣ, VATICINIUM INFALLIBILE, fuerit usurpatum. Ipsa Oraculi exploratio his quondam cerimoniis, rituq; incolis consueto, fuit peracta. Speculum, consulturi Oraculum, præfatum demittebant in fontem, funiculo prætenui ita libratum, ut aquam tantum per ambitum contingeret. Quo factò, fuis Deæ precibus, usiq; thymiamate, in speculum aquis jam rigatum contuebantur. Et ecce inibi sese ostentabat hominis, quo de fata consulebantur, ægroti, vel paullo post morituri, vel contrà adhuc inter vivos futuri superstitis imago.

Laudabilis Majorum nostrorum devotio suorum quoq; salutis consultura Posterorum *Speculum* æquè in vicino Gymnadi nostræ templo appendit *octogonium*, cujus *Hypographe*, SPECULUM RATIONIS : *Epigraphe* insuper : SPECULUM REDDENDÆ RATIONIS VITÆ. Sed quod longè veriùs, ac illud Patrense, vocari mereatur ORACULUM INFALLIBILE, utpote quod ex ipsis fallere & falli nesciis paginarum sacrarum depromptum Oraculis, nitidissimis Israëlitis fontibus intinctis. De hoc itaq; Speculo jure quis possit repetere, quod Senex ille Plautinus de Speculis judicavit consilium homini subministrantibus formæ, & ex in virtutibus, quicquid corpori desit, redimendum esse suadentibus, dum scitè, pro senili sua prudentiâ, asserit: (Epid. 3. 3. 1.)

Non

*Non oris causa modò homines æquum fuit
Sibi habere Speculum, ubi os contemplarent suum:
Sed qui perspicere possint cor sapientiæ:
Igitur perspicere ut possint cordis copiam.*

At enim vero etiam si hæc duo laudata Specula in multis inter se dissideant; in non paucis tamen admodum quoque festivè eadem conveniunt. Etenim ut *Patrense eventis morborum unius Corporis* commodavit agnoscendis: ita hoc *tollendis solius animæ adfectibus*. Idem verò illud ut nulli erat usui, nisi fontana Cereris aquà leviter antè tinctum: sic & hoc æquè limpidissimis non tingi tantùm, sed & penitus immergi vult *Israëlis scaturiginibus*: immo tantò illustrius morbosos animæ adfectûs repræsentat, quantò sollertius his ad ipsum usq; fundum immergitur abditissimum. *Patrense* hominis ægroti vel valetudinem præ se ferebat commodiorem, vel indubitatam mortem. Et hoc nostrum animæ Speculum uno eodemq; obtutu æternam ostentat vel ejusdem salutem, vel interitionem; prout nimirum medicamenta quisque ex arcanis religionis sanctæ fonticulis haurienda vel obsequiosè adhibuerit, vel præfractè respuerit. In Speculo porrò *Achaiæ Patrensi*, *fufis Deæ precibus*, & *præmissis thymiamate*, hominis, cujus gratiâ sortes quis Numinis scitatus, futura elucescebant fata: In *Elisabetano* hoc nostro peræquè Animæ se fata offerunt gemina, futuræ dehinc perpetim in *Celis* vel *beatæ*, vel inter *inferos damnatæ*. Speculum tandem *Achai-cum* unicâ tantùm resplenduit effigie, eaq; pro ægroti conditione, permutatâ: at hoc nostrum *Wratislaviense*, pro areolis suis novenis inter se distinctis, tot etiam, iisq; diversissimis imaginum sese exhibet formis. *Area* namq; *media*, locum tenens principem, Emblemata repræsentat ut amplissimum, sic nec minus primarium, *Tabulas* nempe *Decalogi*, *JESU* imagine crucifixi superimposita ornatas & ab Angelo detentas, pilæ verò insuper bene firmæ impositas. In quarum priore hæc notata reperiuntur verba: *Diligas Dominum DEUM tuum*. In posteriore: *Et proximum tuum sicut teipsum*. Sub Angelo verò interrogante: *Vis vivere in idipsum?* Hospes Orbis

hujus alienigena respondet dubitanter: *O tu scis Domine; sed miserere. Fiat Voluntas tua. Adjuva me.* Ab hujus tergo Cacodæmon draconinis instructus alis, suis hospitem hunc exterum corripere tentat ungvibus. Et hæc à dextris. A sinistris effigies efformata *horologii* est *automati*, sub quo mors arcu instructa letali oppositum sibi configere satagit extraneum, hoc addito lemmate: *Moritur robustus, sanus, dives & felix.* Ecclesiastes. Cui scalaris quædam ætatis humanæ certis pentadibus à decade usque ad hecatontadem invicem, à se disparatæ subjicitur forma hominis defuncti & capulo ferali, jaculo insuper in præcordia coniecto letifero, illocati, sub se complexa ideam. Scilicet ut quilibet, quacunq; in ætatis periodo ille sit constitutus, mortalitatis ita suæ vivat memor.

In areola dein ad dextram Emblematis hujus principalis effigta, repræsentatur, si contemplemur, **VITA MUNDI**, pro peccatorum humanorum congenita diversitate & adfectuum propensionibus diversimodè instituta. Cui rhythmicum hoc adjunctum conspicitur *Tetrastichon* ab Angelo Monitore prolatum, pro sæculi more, *ὁμοιοκατάληκτον.*

Prospice, necesse est, quod es moriturus,

Coram justo Judice tandem responsurus.

Locus, tempus, qualitas, ignota latenter.

Vigila, ne rapiat mors inconfidenter.

Ad sinistram verò in areola Emblematis eidem contigua Judex exhibetur omnium ut novissimus, sic justissimus sedens in Iride, inq; ore dextrorsum oleam, sinistrorsum gladium tenens, cui Angeli tuba utrinq; accinendo homines è tumultis judicio sistendos evocant. Sub quorum pedibus Sphæra Orbis crucigera, & Angelus insuper cum libra, in cujus bilance altera homo, altera ejusdem peccata. Huic verò Dæmon, ut momentum addat, se appendit, sed qui ab Angelo Christi victoriosi tenente labarum, vi rursus detruditur. Hos à dextra Apostolus sequitur claviger beatos Celi Candidatos Magistro suo adducens: à læva Cacodæmon ad Orcum damnatos secum catenæ illigatos abstrahens: hac
insuper

insuper addita Epigraphe: **JUDICIUM EXTREMUM.** Cui spiritus iterum celestis in areola jungitur vicina appellator, hoc utens *Tetrasticho* æquè ὁμοιοπλότω:

*Respice posteriora, quanta bona tibi
DEUS gratis dederit. Quare reddas sibi
Atq; tuo Proximo suis pro impensis
Per ingratitude totiens offensis.*

Emblematis autem his propositis ternis, medium Speculi occupantibus locum, adjecta spectantur insuper duo, quorum alterum gaudia, alterum supplicia refert æterna; disjunctissimè tamen ab se invicem, uti & reapse sunt, delineata. Prius siquidem in area suprema *SS. Triadem*, & circum Angelorum ostentat chorum, hac addita scriptura: **SUMMA BEATITUDO.** Ab hujus dextra refulget porrò Sol, à sinistrâ Luna. Venerandæ a. Trinitati hæc insuper per nubes q. fluitantia contuemur tribui verba: *Nos tres sumus unus DEUS & Dominus. Ideò tu Peregrine totius nationis inspicere hic per SPECULUM REDDENDÆ RATIONIS VITÆ.* Et ista quidem ad partem dexteriolem. Ad sinisteriolem eadem, pergit: *Unde venis tu? Quis es? Quomodo vivis? Quò vadis? Et ubi in perpetuum manebis?* Cui in serie proxima Genius appictus Admonitor his fingitur uti rhythmis:

*Suspice ad superiora, quod divinitatis
Instar tu creatus es: Igitur Mandatis
Ejus nunc obtempera, lavaq; reatum
Fide: Spe sic obtines ad Celos meatum.*

Posterius suppliciorum æternalium in areola Emblematica quinta, eaq; infima horrendam planè præ se fert iconem, hominum scilicet damnatorum in abyfso infernali inter cruciatus æternos desudantium, adscripto itidem Titulo: **SEMPITERNA DAMPNATIO;** & carmine pariter ὁμοιοπλότω in proximitate per Nuncium Celi monitorem pronunciato:

*Despice ad infera, Cogita de limo,
Unde corpus sumptum est labile plus fimo.*

Tunc

Tunc peccatrix anima misera transibit

Ad Gehennæ barathrum: vix aut non redibit.

De Speculo autem hoc *rationario* si quis, quid sentiam, sciscitetur, asserere sanè nullus dubitem, Emblemata prædicta ingeniosè à religiosa Majorum devotione eo fuisse efficta sine, ut Civitas omnis, in primis autem litterata, quotiescunq; Tabulam hanc oculis usurpet, vitam in eo suam tanquam in Speculo, contueatur, & devota secum mente expendat, neminem non hominum hæc in vita esse hospitem mortalitati obnoxium, & ab obitu Tribunali CHRISTI pantocritico sistendum: cujus sententiã justissimã, nolit velit quis, auditã, indubitanter deportandus sit ad æterna vel Celorum gaudia, vel Inferorum supplicia. Videlicet ut his probè secum expensis unusquisque eligat, utrumne celestium malit associari consortio, an Cacodæmonum, & eorundem asseclarum, contubernio. At quis sanæ mentis homo non potius, ut æternum sibi beneficit, eligat; cruciatus verò infernales, quanto quanto conatu queat, abs se spernat & amoliatur? Hoc ergò ut, divina favente clementia, homo possit præstare, sanam sibi quisq; resipiscentiæ interventu, revocet mentem, cohortatum ivisse nostros gravitatis venerabilis Majores, elingvi quidem hæc, verborum si respiciamus apparatus, aut ingenii si perspiciamus dioptrã, satis eloquente picturã.

Speculum igitur hoc si & Gymnica nostra contemplata fuerit, juvenus, extra omnem positum est aleam, fore ut, quam mentis suæ formam tortuosam invenerit & vitiosam, facile ad hujus *ἐπιτήδεωσι* sit emendatura. Nec enim hoc in Speculo sola Deorum signa & solium, neutiquam verò intuentium effigies, perindè ut olim in templo *Herae* seu *Cereris Arcadice*, datur intueri: (Pausan. in Arcad.) sed ipsam quisque conscientiam spectabit suam, neutiquam sibi imponentem. Et, si Deabus femellis specula olim, ad inspiciendum explorandumq;, satisne essent cultæ, attributa; (Aug. de C. D. l. 6. c. 9.) quantò potius hæc necessaria erunt hominibus, & apprimè juvenibus. Ut autem in ætatibus auctoritatem habet senectus: sic in Exemplis plurimum apud nos valere debet antiquitas, quæ ceu in urbibus haberi solet sacra; ita in inventis ingeniorum prisco- rum merito censetur veneranda.

Valeant


Valeant ergò juventuti nostræ *Specula Sidonia*! Valeant *Brundusi-*
na, utut inter laudatissima quondam à nomine Romano habita!
 (Plin. N. H. l. 33 c. 9.) Valeant *Opsidiaria*, ad similitudinem lapidis in
 Æthiopia ab *Opsidio* inventi, coloris nigerrimi, aliquando & trans-
 lucidi, visu crassiore, atq; in speculis parietum pro imagine um-
 bras reddente, efficta! (Plin. l. 36 c. 26.) Valeant *abacorum iectoria*,
 speculorum divisionibus expressiones inter se prominentes habentia!
 (Vitruv. l. 7 c. 3.) Valeant *orbes Speculorum Lacedamonii*, pytisma-
 te sæpè lubricati! (Juven. l. 4 Sat. 11.) Valeant item huic *Othonis &*
Hostii Aphrodisia, utriusq; abominanda! Valeat *cubiculum Horatii Flacci*
speculatum, diris æquè devovendum! *Didius* porrò eidem valeat *Ju-*
lianus ad Speculum, præligatis pueri oculis & incantato vertice, fu-
 tura prospicere satagens! (Spartian. p. 63. 3.) Valeant etiam, &
 comprimis res sibi suas habeant *Thesala* Speculis ad divinationes su-
 asusæ! Eæ siquidem litteras speculo feruntur inscripsisse sanguine,
 responsa sua magica continentes, quas, qui consuluerant, legerunt,
 non in Speculo, sed orbe Lunæ. Id quippe carminibus se suis præ-
 stare solere jactitabant, ex antiquissimo Pythagoræ invento. Va-
 leant *Specularii* ad unum omnes in corporibus levigatis & tersis, uti
 sunt lucidi *enses, pelves, cyathi*, speculorumq; diversa genera, divinan-
 do curiosis consultationibus satisfaciendes! (Salisber. de vestig.
 Phil. l. 1 c. 12.) Valeat insuper omnis aquarum *Catoptromantia*, qua
 de *Apulejus*, scriptor Madaurensis; *Memini*, inquit, *apud Varronem Phi-*
losophum, virum accuratissimè doctum atq; eruditum, cum alia hujusmodi, tum
hoc etiam legere: Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione
consulentibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem, quæ futu-
ra erant, centum sexaginta versibus cecinisse! (Apul. in Apol.) *Nostri* quo-
 que cum *pueri, tum adolescentes*, iis omnibus vel susq; deq; habitis,
 vel planissimè in *Orci Catonium*, unde orta, remissis, ex hoc *Elisabe-*
tico reddenda rationis Speculo dicant cantentq; futura. Quæ verò ut
Vos, Patres Civitatis suspiciendi, Cives observandi, matutino crastino, au-
diatis lubentes, ea mecum, qua decet, veneratione, contendit roga-
re Juventa his cantandis dicendisve selecta. P. P. Wrat. IX.
 Cal. Octobr. c1o Idc LXXVI.

Speculi



**Speculi Rationarii ad Pœnitentiam suscitantis
Contemplatores.**

- I. Prologi**, Christianus Krause / Vrat. Christianus Gottlieb Ortlob / Olsnens.
Johannes Leonhardus Ebertz / Vrat.
- II. Catoptroscopi ipsi evoluturi Emblemata Speculi singula, & quidem de**
- 1. VITA MUNDI**, stilo
1. Proso
1. Theologi, Johannes Schnell / Olafs. & Christianus Beyer / Olsenas.
2. Politici, Leonhardus Jacoberus Vallens. & Christ. Michael Hoppe / Vrat.
2. Verso Elegiaco, Maximilianus Schwemler / Gottfried Schmutzer / Christophorus Eckmannus & Sigismundus Zauchenberger / Vrat.
- 2. DECALOGO & MORTE INDUBITABILI**, Charactere
2. Oratorio
1. Theol. Johannes Frölich / Warall. & Johannes Cantoris Cass.
2. Polit. Melchior Smegnerus, Goeln. & Abrahamus Gruberus, Sempr.
2. Metrico Phalæcio, Christianus Köhler / Vrat. Benjamin Herdenius, Fraust.
Johann. Carolus Felber / Vrat. Christianus Schütze / Vrat.
- 3. EXTREMO JUDICIO**, sermone
1. Pedestri
1. Theol. Jeremias Scultetus, Lign. & Caspar Hüllerus, Vrat.
2. Polit. Joh. Georgius Ernestus Vrat & Joh. Henricus Langnerus, Hainov.
2. Equestri Trochaico, Joh. Christoph. Niediger / Gorlic. Gottfried Oderwald / Christoph. Henric. Teschke / & Caspar Gräbe / Vrat.
- 4. BEATITUDINE SUMMA**, stilo
1. Soluta
1. Theol. Gabriel Bauerus, Annæberg. & Abraham Eccardus, Namsl.
2. Polit. Henricus Schmidt / Vrat. & Joh. Gotofredus Zentsch / Olsn.
2. Ligato Jambico Dimetro & Anacreontico, Christian. Wilhelm Schwabe / Samuel Herfurth / Vrat. Daniel Nabe / Leutsh. & Gottfried Hönisch / Vrat.
- 5. DAMNATIONE SEMPITERNA**, oratione
1. Libera
1. Theol. Johannes Thomæ, Brig. & Johann. Leonhardi Bilicens.
2. Polit. Gotofredus Springer / Vrat. & Andreas Frölich, Piscovic.
2. Vineta Jambica Tetrametra, Gottfried Fuchs / Lig. Gottfried Meyer / Joh. Ernestus Kupffer / Christianus Schuhmann / Vrat.
- III. Epilogi**. Pœnitentiam singulis suadentes, Jacobus Seidelius, Vrat. Samuel Domnig, Vrat. Daniel Caspar à Lohenstein.



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287



Sb,

VD 17
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13

Stum!

48

LUM

DÆ RA.

VITÆ

um,

sticho item quadruplici,
anorum serix

s,

m Cathedræ

rii,

Elifabetica,

Christianæ

um septimo,

m Gymnasio

. A. 1676.

professionem sollemnem se

plandum

EBHARDO.

VITÆ,

Typographia

S GRÜNDEB.